



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

478. An Capitulum sede vac. possit dispensare in irregularitatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

& alterum. Pith. *loc. cit.* argumento *c. cum inferior. de major. & obed. & ibi Gl.* Poterit itaque absolvere Capitulum ab excommunicatione tam lata à jure (v.g. ob percussione Clerici, ut Barbof. saltem levem, ut Pith) quam ab homine, v.g. à defuncto Episcopo, vel ejus Vicario, aut delegato, vel Archidiacono, &c. Pith. *loc. cit.* Barbof. n. 65. Ventrigl. *loc. cit.* citans Dianam p. 8. *resol.* 17. Meroll. &c. Porro posse Capitulum non solum per Vicarium suum absolvere excommunicatum tam à jure quam ab homine; sed hunc quoque posse instituire confessarium, qui illos absolvat, tradit Azor. *Inst. mor.* l. 3. c. 37. q. 16.

2. Potest quoque absolvere ab aliis censuris, à quibus absolvere poterat Episcopus. Barbof. *cit. n. 65.* citans Molin. *de Inst. tract.* 5. d. 11. n. 6. Navar. *in man. c. 27. n. 5.* juxta *abolendam. de heret. & ibi AA.* Possit quoque Capitulum absolvere, sicut poterat Episcopus, etià extra mortis articulum omnes impeditos recurrere ad Sedem Apostolicam à censuris quibuscumque, Sedi apostolica reservatis, etiam contractis ob hæresim, contentisque in Bulla eterna, & hoc etiam de jure novo, non obstante decreto Clem. VIII. ea nimirum ratione, quam communiter afferunt AA. ne reservatio, quæ pro bono caritatis est inventa, contra caritatem vergat in periculum animarum, tradit Ventrigl. *loc. cit. n. 18.* ex Leonard Duardo (quem mirifice commendat) ad Bull. *Canal.* l. 3. §. 2. *concl.* 3. n. 45. & seg. & Tambur. *de jure Abbatiss.* d. 16. q. 8. n. 8. Sic etiam in specie potest absolvere ab omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis ad forum contentiosum quoscumque; sibi subditos; hæc enim potestas concessa est Episcopis per Trident. *sess.* 24. c. 6. & ea transit ad Capitulum sede vacante juxta dicenda *quæst. seq.*

Quæstio 477. An quoque absolvere possit à casibus papalibus, & episcopalibus?

1. **R**esp. ad primum; Potest à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientie absolvere, imposita penitentia salutari. Id ipsum enim conceditur Episcopis à Tridentino *loc. cit.* transitque pari modo in Capitulum sede vacante. Pith. n. 45. Ventrigl. *loc. cit. n. 15.* Laym. *in c. quoniam. de off. & potest. iud. delegat.* num. 1. citans Felin. *in c. eam te. num. 17. de rescript.* Rodriq. *qq. regul. tom.* 1. q. 61. num. 9. Sanch. *de matrim.* l. 8. d. 61. num. 10. Barbof. *loc. cit. num. 2.* Garc. p. 5. c. 7. num. 41. contra Suar. *in 3. p. tom. 4. d. 41. §. 2. num. 13.* & Bonacin. *de censur.* d. 7. q. 5. p. 1. n. 6. citatòsque ab eo Alterium, Filiuc, &c. Si enim ea, quæ speciali jure delegata sunt Episcopis, transeant in ordinariam eorum jurisdictionem, qualiter in eam transit hæc potestas absolvendi, transeunt quoque ad Capitulum sede vacante. Laym. *loc. cit.* juxta dicta à nobis supra. Et sic in specie quoque posse absolvere Capitulum ab hæresi in foro conscientie, uti hæc potestas quoque collata Episcopis à Trident. *loc. cit.* tanquam probabilius tenet Garc. p. 7. c. 11. n. 22. Ventrigl. *loc. cit.* citatque ab eo Barbof. *de Canon. & Dignitat.* c. 42. n. 82. (qui etiam testatur num. 62. pro hac opinione steterit S. Congregat. Concil. 3. Decembr. 1633.) Dian. *Resolut. mor.* p. 7. tr. 2. *resolut.* 3. & p. 8. tr. *resolut.* 7. Meroll. *tom. 2. c. 6. & tom. 3. c. 7. num. 51.* contra Ledesm. *in sum.* 2. p.

tit. 1. c. 61. concl. 20. difficult. 2. apud Garciam *loc. cit.* Neque obstant verba Concilii *loc. cit.* Idem (nempe absolvere) in hæresi crimine in eadem foro conscientie eis tantum (nempe Episcopis) & non eorum Vicariis sit permissum. Neque enim Capitulum sede vacante est propriè Vicarius Episcopi; sed eandem Episcopi potestatem habet juxta dicta à nobis supra; & Vicarius Capituli eandem Capituli jurisdictionem habet; quia Capitulum suam jurisdictionem per Vicarium exercet. Et sic diluitur potissima ratio Ledesmæ; nempe quòd concedatur Episcopis absolvere ab hæresi per se ipsos; Capitulum autem non possit per se ipsum absolvere; quia suam jurisdictionem debet exercere per suum Vicarium; & is Vicarius loco Episcopi per se ipsum debet absolvere, & ad eum sine speciali commissione transit illa facultas. Garc. *cit. n. 22. in fine.*

2. **R**esp. ad secundum: Potest quoque absolvere ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Ventrigl. *loc. cit. num. 16.* citans Pavin. p. 1. q. 5. Molin. *ubi ante.* Azor. *Inst. mor.* l. 3. c. 37. q. 16. Sequitur à fortiori ex responsione præcedente. Neque solum potest id Vicarius Capituli per se; sed potest quoque eandem potestatem concedere alteri. Dian. p. 8. *tract.* 4. *resolut.* 47. ex Molin. *loc. paulò post citando.* Ventrigl. *num. 16.* citans pro hoc quoque Molinam. Sic ait Azor. *loc. cit.* potest Capitulum instituire Confessarium, qui absolvat à casibus Episcopo reservatis, citans pro hoc Abb. *in c. cum olim. & c. his quæ de major. & obed.* Pavin. p. 1. q. 7. n. 4. Barbof. *lur. eccles. l. 1. c. 32. n. 64.* quia potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Barbof. *ibidem* citans Molin. *de Inst. tract.* 5. d. 11. n. 5. Pavin. *ubi ante.* q. 5. Subjungit idem Azor, posse Capitulum reservare casus, quos possit Episcopus; cum is sit actus jurisdictionis, citat pro hoc Pavin. *loc. cit.*

Quæstio 478. Num Capitulum sede vacante possit dispensare in irregularitatibus?

1. **R**esp. posse dispensare in irregularitatibus, in quibus potest Episcopus; quin & dispensare in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto provenientibus, excepta eà, quæ oritur ex homicidio voluntario; hoc enim ipsum concessum est pari modo Episcopis à Trident. *loc. cit.* Ventrigl. *cit. n. 15.* Pith. n. 25. Barbof. *loc. cit. n. 82.*

2. Porro circa potestatem illam absolvendi, & dispensandi concessam Episcopis per dictum Tridentini decretum notanda sunt sequentia: Primò facultate illa uti non posse Episcopos regionum illarum, in quibus receptum non est Tridentinum, uti censent S. Congr. Concil. Garc. *cit. c. 11. n. 23.* & consequenter juri neque id poterunt Capitula regionum illarum sede vacante.

3. Secundò: quòd in illo Decreto Concilii non comprehenduntur inferiores Prælati habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem, etiam nullius diœcesis, adeòque nec in diœcesi nec de diœcesi. Idem est de Prælati exemptis, qui etsi non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi (quam differentiam interesse nullius diœcesis, & esse exemptum à jurisdictione diœcesani, ponit Rota *Decis.* 207. p. 2. *divers.* apud Garciam *loc. cit. n. 16.*) facultas enim illa, cum sit jure speciali & exorbitante à jure communis concessa Episcopis, intelligi debet de Episcopis propriè & verè talibus, & non

& non de aliis; maxime, quia jura & Concilium magis confidunt de Episcopis, quam de aliis inferioribus. *Garc. à num. 17.* proinde tam subditi illorum Prælatorum, qui sunt nullus diæcesis, cum nullum habeant Episcopum, recurrere debent ad Sedem Apostolicam pro obtinenda illa absolutio- ne ab hæresi (idem est de dispensatione ab irregu- laritatibus, & casibus reservatis Papæ) quam sub- diti illorum exemptorum; quippe qui non sunt subditi, nec possunt se subijcere Episcopis, nisi in casibus à jure expressis, qualis non est iste, de quo hic, nempe dispensatio illa & absolutio. *Garc. num. 20.* citans *Marc. Anton. Genuens. in pr. Curia Neapolit. c. 66. n. 19.* *Ugol. de cens. Rubr. l. c. 2. §. 17. n. 5.* contra *Suar. & plures alios putantes, posse subditos illorum exemptorum se subijcere, si velint, Episcopo quod ad hunc actum favorabilem obtinendi ab eo dispensationem, & absolutio- nem. Unde jam iterum sequitur, non posse Ca- pitula istiusmodi inferiora, Prælato defuncto (Certi aliàs ad ea transfere potestas, quam habuit defun- ctus, juxta dicta superius) in dictis casibus absol- vere, aut dispensare.*

4. Tertio cum homicida voluntario, etiam oc- culto (sub quo venit quoque mandans & consu- lens. *Garc. loc. cit. n. 24.* ex *Tolet. l. 1. c. 88. vers. 6.*) nullo modo posse dispensare Episcopum (& conse- sequenter nec Capitulum sede vacante) ne quidem ad minores aut beneficium simplex. *Garc. cit. n. 24.* citans *Tolet. ubi ante.* *Ugol. de cens. tab. 1. c. 33. de irregul. §. 2. num. 1. & 2. & c. 62. §. 2. n. 4.* *Guttier. qq. Canon. l. 1. c. 13. n. 19.* *Sayr. l. 7. c. 7. n. 14. & 19. & c.* contra *Henriq. l. 13. c. 57. §. 1. & l. 14. c. 19. §. 1.* *Zerol. in pr. p. 2. v. dispens. §. 3. & c.* Et si ante Concilium possent cum eo dispensare ad benefi- cium simplex, & juxta probabiliorem ad Ordines minores. *Garc. loc. cit. n. 26.* citans *Hofst. Jo. And. Butrio & c. in c. 2. de Cler. pugnant. in duello.* Item contra *Baifium in direct. elect. p. 2. c. 30. n. 6.* *Covar. in Clem. si furiosus. p. 2. §. 3. num. 5.* *Navar. cons. 45. n. 1. de homicid. Tolet. ubi ante. vers. 4. & 5. & c.*

5. Quinimo nec dispensare poterit cum homi- cida casuali non occulto, etiam ad Ordines mi- nores jam susceptos, aut beneficium simplex. *Garc. num. 27.* citans *Tolet. ubi ante ad finem. c. 88.* *Ugol. cit. c. 33. §. 3. n. 3. & 4. & c.* contra *Henriq. Na- var. Sayr. loc. cit. num. 20.* *Molin. de iust. tract. 3. d. 77. n. 11.* *Avilam, Rodriq. & c.* dicentes, quan- tum ad homicidium casuale nihil immutasse Con- cilium. Quemadmodum Episcopus (& conse- quenter: Capitulum sede vacante) dispensare po- test in mutilatione, etiam voluntaria, si est occul- ta; utpote in qua nihil innovavit Concilium; quippe quod solum excipit homicidium volun- tarium, sub quo non venit mutilatio. *Garc. num. 29.* citans *Suar. tom. 5. d. 44. §. 2. n. 4.* *Henriq. loc. cit. Tolet. cit. c. 88. vers. 6.* *Molin. Avil. & c.* Idem est quod ad homicidium voluntarium iustum. *Garc. num. 34.*

Quæstio 479. In quibus præterea dispensare possit Capitulum sede vacante?

1. **R**esp. primò in genere: Potest dispensare in casibus, in quibus potest Episcopus pote- state ordinariâ. *Azor. l. 3. c. 37. q. 10.* citans *Pavin. p. 1. q. 5.* *Feder. de Sen. cons. 29.* *Pirh. citans Abb. in c. cum olim. de major. & obed. num. 8.* *Molin. de iust. tr. 5. d. 11. n. 5.* *Quarant. in sum. Bullar. v. Capi- P. Leuren. Tract. III. De Capit. sed. vac.*

tul. sede vacante. q. 2. *Barbos. Iur. eccles. l. 1. c. 32. num. 81.* Est enim dispensare actus jurisdic- tionis, *Azor. loc. cit.* & dispensatio non est actus merè voluntarius; cum sæpe expediens, imò necessa- rium sit cum subditis dispensare. *Pirh. Barbos. l. cit.* Adeoque non esset sufficienter provifum diæcesibus, si jurisdic- tio Episcopi sine jurisdic- tione dispensandi devolveretur ad Capitulum sede vacante. *Barbos. citans Molin. tr. 5. d. 11. num. 5.* Quinimò dispensare poterit in casibus non solum, qui per se, sed etiam qui per accidens (nempe pro- pter impedimentum adeundi Papsam) sunt epi- scopales, seu ordinariæ jurisdictionis Episcopi. *Pirh. loc. cit.* citans *Quarant. ubi ante. q. 3.* *Abb. in c. his qua. in fine.* sive in casu necessitatis, quando non facile adiri potest Papa, aut Nuncius Aposto- licus, dum is ad eam dispensationem conceden- dam potestatem habet. *Dian. loc. cit. resol. 9.* cum *Meroll. loc. cit. num. 12.* eò quod jurisdic- tio, seu po- testas, quam habet Episcopus dispensandi in le- gibus pontificiis in casu necessitatis sit ordinariæ; quippe qualis est, quæ annectitur perpetuò dig- nitati, uti est hæc (unde & eam delegare potest Epi- scopus generaliter, ut *Sauch. de matrim. l. 2. d. 40. n. 14.* apud *Dian. loc. cit.*) Capitulum verò suc- cedit in potestate ordinariâ Episcopi. *Dian. cit. resol. 9.*

2. **R**esp. in specie. Sic itaque dispensare po- terit in votis & juramentis, in quibus id potest E- piscopus. Item in statutis diæcesanis; hæc enim spectant ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, *Pirh. loc. cit.* & de juramentis. *Pignat. tom. 5. con- sult. 24. n. 3.* citans *c. penult. & ult. de suppl. negl. Prælator. Garc. observ. 30. num. 12.* *Dian. loc. cit. re- sol. 23.* Item cum illegitimis ad Ordines minores suscipiendos. *Barbos. loc. cit. juxta c. 1. de filiis presb. in 6.* & ad beneficium simplex. *Barbos. citans Navar. cons. 28. cit. de temp. ord. Zerol. in pr. p. 2. v. Capitul. §. 3.* *Quarant. v. oodem. Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 16.* *Dian. p. 8. tr. 4. resol. 6.* qui ta- men putat cum *Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 34.* sine speciali mandato hanc dispensationem non posse concedere Vicarium Capituli. Item in peti- tione debiti. *Barbos. Ventrigl. l. cit. Dian. loc. cit. resol. 47.* citans *Molin. de iust. tom. 6. tract. 5. d. 11. num. 5.* Ratio his omnibus communis est, ut *Molin.* nempe quod tota universim jurisdic- tio Epi- scopi etiam voluntaria (cujus actus est dispensare) quæ non reperitur illi denegata, transeat ad Ca- pitulum, ut *Abb. in c. cum olim. de major. & obed. num. 2.*

Quæstio 480. Num igitur dispensare quoque possit in interstitiis Ordinum?

1. **R**esp. primò: Capitulum sede vacante po- test dispensare in his interstitiis. *Suar. tom. 4. d. 28. §. 5.* *Sanch. de matrim. l. 3. d. 29. num. 14.* *Regi- nald. Fori pænit. l. 1. n. 180.* *Valenzuela cons. 107. num. 17. vol. 2.* apud *Dian. p. 8. tr. 4. resol. 5.* Item *AA. paulò post citandi;* eò quod hæc facultas in ipsius Episcopi officio, & potestate sit imbibita, non tam ex commissione speciali, quam ex Con- cillii dispositione. Capitulum verò succedat non tantum in ordinariâ jurisdictione jure communi generali ad Episcopum spectante; sed & in per- tinente ad eandem jure communi speciali. *Garc. p. 5. c. 7. à num. 38.* & plures alii apud *Dian. loc. cit.*

Q

2. **R**esp: